

Petrus de Vinea

*Ep. VI 12 (Etsi munificentiae
nostrae gratia...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 12 (Etsi munificentiae
nostrae gratia...)*

1234?

De priuilegiis concessis Iudeis.

1. Etsi munificentiae nostrae gratia cunctis, quos nostrum regit Imperium, communis debeat esse fidelibus, illos tamen gratiori habilitate complectimur, quos humilioris legis grauat condicio, et qui in sola protectione nostrae lenitatis respirant. 2. Per presens igitur priuilegium, presens etas nouerit et etiam successura posteritas, quod nos, attendentes imbecillitatem gentis Iudaismi, et quod omnes et singuli Iudei degentes ubique per terras nostrae dicioni subiectas Christianae legis et Imperii prerogatiua, qua dominamur et uincimus, serui sunt nostrae Camerae speciales, ad supplicationes seruorum... nostrorum, personas, filios et filias suas ac omnia bona eorum, quae in presentiarum iuste tenent et possident, et in antea iusto titulo poterunt adipisci, sub protectione nostra et Imperii nostri recipimus speciali. 3. Vsus et approbatas consuetudines, quibus tempore diuorum Augustorum predecessorum nostrorum, recolendae memoriae, usi sunt, hactenus ipsis in seruitiis nostris et debitae fidei nostrae constantia persistentibus, de munificentiae nostrae gratia et ex certa scientia confirmantes.